TEMPVS.

Incipit à mẽdia hyeme, Arescit autẽ æstate media. Cum prorepit, musculorũ aures imitatur folijs.

TEMPERAMENTVM.

Refrigerantem & humectantem haud secus quàm Helxine obtinet facultatem: est enim aqueæ essentiæ frigidæq; quare & citra adstrictionem refrigerat.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Alsine refrigerandi facultatem obtinet. Oculorũ inflammationibus cum polenta illita cõuenit. Succus eius aurium doloribus instillatus prodest. In uniuersum eadem quæ helxine potest.

EX GALENO.

Ad feruentes phlegmonas, & mediocria erysipelata competit.

EX PLINIO.

Vsus eius ad collectiones inflammationesq;. Quin emendat omnia quæ Helxine, sed infirmius. Epiphoris peculiariter imponitur: item uerendis ulceribusq; cum farina hordeacea. Succus eius auribus infunditur.

APPENDIX.

Easdem facultates, herbis quas morsus gallinæ uulgò nominant, nostri temporis herbarij tribuunt, quod scilicet ad feruentes inflammationes, ac erysipelata prosint. Omnes enim, ut dictum est, refrigerant atque humectant. Hinc est quod minorem aliqui Germanorũ ſieberkraut uocent, quia scilicet febribus accõmoda, & utilis sit.

DE ANTHEMIDE▸ CAP▸ VIII▸

NOMINA.

Chamæmelon cur dictum.

ANTHEMIS, ἀνθεμὶς χαμαίμηλον græcè, Anthemis, Chamæmelon latinè, officinis corrupto nomine Camomilla dicitur, Germanicè Camillen. Chamæmelon, quoniam odorem habeat mãli, appellant, id quod de primo genere potissimum intelligendum uenit.

GENERA.

Leucanthemon. *Chrysanthemon* *Eranthemon.* *Consolida regalis est tertia chamæmeli species.*

Tria eius genera, floribus tantum distantia, inueniuntur. Hi enim etsi intus aurei sint, tamen foris per ambitũ illis adiacent folia aut candida, aut lutea, aut purpurea. Quæ foris in orbem candida folia obtinet, ea est quæ à Dioscoride propriè λευκάνθεμον, & uulgò hodie Camomilla uocatur. Quę uero luteis per ambitum foliis cõstat, ea haud dubie est, quã priuatim Dioscorides à suis floribus χρυσάνθεμον nominat. Germani autem, pulchrè ad græcam appellationem alludẽtes, Goldtblũmen/Gelcamillen/Streichblũmen appellant. Tertia species chamæmeli, quę nimirũ purpurea per orbem folia habet, nulla alia est nisi ea quam hodie uulgus medicorum Consolidam regalem, Germani autẽ à similitudine calcaris, cui respondet flosculus eius herbæ, & à colore lepido regioq;, qui aspectari nunquã satis potest, Ritterspom uocant. Dioscorides peculiariter ἠρανθεμον, eo quod uere floreat, dici tradit. Tria itaq; in uniuersum Anthemidis seu Chamæmeli genera sunt, quorum sanè primum Chamæmelon leucanthemon, alterũ Chamæmelon chrysanthemon, tertium Chamæmelon eranthemon Dioscoridi nominatur. De duobus primis generibus neminẽ dubitare, quin uera & legitima sint, arbitramur, quod nihil in ijs sit quod Dioscoridis descriptioni, quam mox subijciemus, non respondeat. Tertium fortè nonnullis qui morosius omnia obseruant, minime genuinum Chamæmeli genus esse uidebitur: ideoq; quibus simus argumentis & cõiecturis impulsi, ut tertium Anthemidis esse genus credamus, necesse erit ostendere. Potissimũ autem quod nos in hanc sententiam pertraxit est, quod singula in Dioscoridis descriptione illi congruant, rami scilicet palmum non excedentes, fruticosi, multas alas habentes, parui & exigui, capitula

CHAMAEMELON
LEVCANTHEMON.